Somnium Navale
SIVE
POEMA
IN
Expeditionem Navalem adverſus Belgas
Sub Auſpiciis Celſiſsimi
JACOBI
Ducis Eboracenſis
Anno Dom. 1672. *confectam.*

OXONII,
E Theatro SHELDONIANO.
Anno CIↃ IↃC LXXIII.

JACOBO

TABLA

OXONII,

E Theatro SHELDONIANO.

Anno CIↃ IↃC LXXIII.

Celsissimo, Invictissimoq; Principi

JACOBO

Duci *EBORACENSI*, &c.

Celsissime Princeps,

RES tuas cum Poemati, *tum* Somnio *dissimillimas, alterutrius nomine vererer inscribere, si non quicquid illic fictitium irrepere solet, hic vere gestis superetur: De quibus fortasse multo rectius dicerent ii, quos militaris prudentia æquiores rerum arbitros constituit; at illo tamen nemo sincerius, qui nova veteribus conferens, quicquid* Tyri Alexandro, *quicquid in* Sicilico Romanis, *in nostro hoc* Britannico *litore* Cæsari, *aut alii cuicunque victori tribuunt blandi scriptores, citra omnem adulationis fucum* Eboracensi *deberi compererit: idque non sine generoso illo Laudis fastidio, quò jure quodam sibi vendicat, ut non modo* major *sit, quam ut possit, sed & melior quam ut velit laudari. Inde est quod (cui ipse testis indignus quidem, sed & fidus adstiti) vix memorare ausim inter belli horrores tam infractum, tam sibi ubique parem, ac si cum ipsis periculis gratiam iniisset, magno suo exemplo docturus, quam pusilli esset & ignobilis animi, de die in diem ulterioris mortalitatis tædium fœnerari velle; quam contra honestum morte ipsâ (si sic sors ferat) non* Optimi *modo* Regis, *dilectæque patriæ amplexus, sed cœlum ipsum & æternitatem paciſci; Vix, inquam, memorare ausim, (totâ fere æstate tempestatibus datâ) tam fortem & audacem Principem, ac si (sit verbo honos) cœli ipsius minas, furoremque neutiquam formidaret, sed tam interim pium, ac religiosum illius cultorem, ac si id solum* in vado esse *sensisset, quicquid supremo rerum Moderatori committeretur. Nos quidem, viles, & exiguæ animæ, qnoties cubitum ivimus, dubii an ante lu-*

cem

cem mergendi longum dormiremus, donec ex illius victrici patientia didiceramus juxta esse, sive intra navem vitæ craſtinæ iterum reddendi, sive ad meliorem transferendi, mari dicam, an (quod pro patria se devoventium meritum est) cœlo expergiſceremur? Adeo nulla unquam Tempeſtas efficere potuit, ut ſua Ipſi Oris, animique decederet Serenitas, nulla clades ultra tendere, quam ut inde conſtaret poſſe Illi aliquando Fortunam, *non poſſe deficere* Virtutem: *Cujus quidem Patrocinio tutus, non video cur longâ Uſus Apologiâ* Somnium hoc meum iterum Somniarem, *quippe qui mallem ſemel tantum peccare: Nec enim ſeſe excuſare debet, quiſquis omnino ſcribit, brevius ſcilicet id feciſſe poterat* non Scribendo: *Unum eſt quod Jure quodam ſpondere mihi videor, quod quoties in opere hoc dormitaverit Poeta,* Celſitudo veſtra *meminerit, quod Scribo, eſſe* Somnium.

Regiæ veſtræ Celſitudini

Obſequentiſſime &

Humillime devotus,

B. W.

Somnium Navale,

SIVE

POEMA

IN

Prælium Navale adverſus *BELGAS* ſub Auſpiciis
Celſiſſimi
JACOBI Ducis *EBORACENSIS*,
Anno 1672. geſtum.

NOX erat, & placidâ relevanti membra quiete
Neſcio quos rerum motus, quas turbida moles,
Indefeſſa agitâſſe mihi mens viſa, per omnes
Protenus Oceani tractus, terræque vagatur.
Seu quia ſolliciti loquimur quæcunque diurno
Tempore Mortales, iterum nos nocte reviſant;
Seu quia depoſito Genius divinior adſtet
Corpore, materiæque ſuæ quaſi carcere liber,
Ardua Cognati repetat tum limina Cœli,
Quæque infra ſunt cunque illâ ſpeculetur ab Arce.
Quicquid erat, Soli factus Vicinus, & Aſtris,
Illorum quid magna potentia deſtinat Orbi
Subjecto, video hinc, video & quid præſcius illinc
Undique pandit Apollo, paratque oſtendere mundo,
Non niſi luce pari quâ facta, futura reſolvens.

Prima poli cognomen habens notiſſima Nautis
Stella oritur, cujus Gyro, ſeu cardine Mundi
Æterno, vidi fatorum fœdere volvi
Atque revolvi cuncta: datum nec flectere curſum
Quicquid venturis ſemel hinc decernitur annis.

Vidi, & lætatus ſuccedere *plauſtra Bootæ*,
Et (quo ſubjectis nil uſquam fauſtius Anglis

Oſtendit cœlum, Regumve faventius armis)
Cor Caroli, & *Caroli cordi* vicina *Coronæ*
Sidera, felices annos inſtare Britannis
Ominor, & Batavo tantum impendere *Draconi*
Quas gravis intentat *cœli vindicta Sagittas.*

Hac poſito ſtatione, immenſo protenus alveo
Decurrit flumen, cujus dum læta per oras
Paſcua, devectaſque opulento gurgite merces,
(Queis Tagus auratas quibus & Pactolus arenas
Cederet) aſpicio, (nam quem non ſomnia fallunt)
Suſpicor Eridanum; nec enim par copia rerum
Sperari poterat, niſi ubi propiora micarent
Sidera, & (influxum nihilo minuente) vigerent.

Quàm tamen O Felix, veroque ſimillimus Error,
Dum quod in Eridano mirabar, Thamiſis ultro
Obtulit, aſpectuque poli ditatus amico,
(Pæne novum ut volvi credas hoc gurgite cœlum)
Divitias illi tantas, quæ læta fovebant
Sidera, conſpicuis oſtendit vitreus undis:
Tanquam non ſuperis ſolum Chryſtallinus orbis
Luceret, *Veterum quæ ſunt quoque ſomnia.* ----

Eſt locus, [a] Æquoreus refluis ubi Thamiſis undis
Illabens tacito, cæcas telluris opacæ
Itque reditque vias, & quæ eſt reverentia Sacræ
Sedis, aquas humilis ſubmittit Principis Aulæ,
Vicinum *Caroli* properans inplere Canalem.
Hic bis quotidie fidus ſubterfluit undis
Amnis, & extremi referens commercia mundi,
Regis in obſequium, quibus innatat, æquora ducit,
Nuncius imperii jam fixi, omenque futuri.

[a] Deſcribitur hic ſtructilis Ille canalis, qui Thamiſinas aquas orientalem Regii Palatii (vulgo *White-Hall*) partem perpetuo alluentes, ſubterraneo ductu ad Occidentalem ejus Partem trajicit, ibique receptas intra *Jacobæum* ſaltum (vulgo *St. James's Park*) iterum in apertum effundit, æſtuque pariter (quo bis de die fervet Ille Fluvius) communicato, ad ipſas tandem *Jacobæas* Ædes, juſto torrente decurrit, ex utrâque ripâ, conſitis à Rege arborum mire decoratis ordinibus.

Duxerat

Duxerat huc Morpheus, & quæ vis molle fluentis
Undæ, ſopitus queribundo murmure, ſomnos
Quam placidos viridi carpebam gramine, gratam
Arboribus Caroli capiti facientibus umbram?
(Arboribus, Juſti quæ ſunt quoque Symbola Regni,
Nec ramum extendunt, niſi qui ſit idoneus æquo
Tutamen Populo, aut virgas præſtare rebelli:)
Quique loci felix Genius, ſub littore viſis,
Atque novas ſub aquis umbras mittentibus, agros
Elyſii, lucumque alium ſuccreſcere credas.
Nec mirum hic videas ſi circum ludere Nymphas,
Et quæ virgineos deceat bene, purior unda
Convocet & cætus: hinc eſt quod nocte ſerenâ
Egregiis formis, (dignis & ſole videri)
Obducente ſuum peplum, Diana choreas
Huc agit, & ſaltu paſſim lucóque canentes
Fallit aves, quæ virgineæ modulamina turbæ
Mirantes, volitant hinc, inde ad flumina, viſum
His ripis ſi forte ſuæ Syrenes adeſſent;
Nec tamen inventis, repetunt per aperta viarum
Saltus, laſciváque iterum tenſo ore prementes
Vocis iter, cantuque ſonoro dulce ſtrepentes
Vix puduit vinci, dedit & victoria laudem,
Inceptat dum victa novas Philomela querelas,
Et ſibi præferri meruit, dum flebilis, Ales.

Sic noctes abeunt, nec erat certamine dulci,
Vel rigido poterat quod diſplicuiſſe Catoni,
Si non inſidias ſimiles, [b] utrinque puellis,
Alitibuſque ſtrui ſociarum fraude videres;
Dum quà ripa greges Anatum capit altera, cætus
Altera virgineos capit, hoc diſcrimine ſolo,
Quod magis impuras Anates prorepere cernas

[b] In duas partes per Canalem Regium diſtinctus ſaltus, ex alterâ ripâ celebriorum fœminarum cœtibus, ex alterâ Anatum, volucrumque gregibus (*Decoy*) frequentatur, felici cum loci Ingenio, tum amœnitate ad id invitante.

Noſtrâ, Aviumque dolos ſuperaret femina pellex.

Nec tamen hic volucres tantum; genus omne ferarum
Adfuit his ripis, ſuaque in compendia miſſus
Orbis, (vel Gades, vel quæ fert India felix,
Africa vel quæ Monſtra ferax, vel America, Terra
Vel fovet Auſtralis, minus haud incognita, quam ſe,
Numinave Ægyptus pietatis prodiga) quotquot
Uſquam alit, hic *Carolo* patere animalia juſſit.
Quique fuit felix naturæ luſus & Artis,
Stantia per ripas, undiſque tuentia formas,
Antipodum tantum ſolitas regione creari,
Viſa ſuo ſeſe rurſus ſunt orbe videre.

Scilicet hoc faciunt animalia cuncta, *Britanno*
Jam naſcenda ſolo, *Carolus* quo diſcat ab uno
Saltu, vel toto ſit quantus in orbe futurus,
Quantus in imperio: cum cujus jam tegit umbra
Silvarum volucres, pecudeſque & cætera campi
Agmina, vicinas deſcendet pinus in undas;
Et quibus ordinibus jam floret conſita dextrâ
Principis, & genio felix, ſervabit [c] eoſdem
Claſſe natans, bello pariter dare adulta Triumphos
Apta, triumphanti ſertiſque & fronde coronam.
Hujus ad alterutrum ductûs caput, intervallo
Stare ſatis juſto vidi alta Palatia, quorum
Illa ſibi in ſedem *Carolus* delegerat, (& ſi
Sacra licet noſtris componere, Numinis inſtar
Maximi, & ille Thronum pariter fundaverat undis)
Illa, Mari reduces æſtus ubi ripa refundit,
(Seu Divi, Fratriſve pari de nomine dicta)
Jacobo ſervire jubens, cui ſorte ſecundâ
Tradidit imperium pelagi, ſævumque tridentem;
Et cui vix alter fuerit locus aptior orbe,

[c] Quoniam commiſſis eodem fere, nec minus juſto ordine (quam Nautæ vocant) *Jelli Linea* ſolet utrinque extendi.

(An

(An Maris, An Terræ ſpectes commercia) Mundo
Extremo hic voluit Leges & fœdera poni.

Inde eſt, quod properans repetitis æſtibus unda,
Limen adoratum bis omni luce ſalutat,
Et Domini ante pedes provolvi læta, capeſſit
Juſſa lubens, eadem longinqua in littora ferre,
Par levibus ventis, eademque parata referre.

Fama refert, quoties avidos in Bella *Britannos*
Aſpera fata vocant, His certa per omina ripis,
Victori populo præludi cuncta; nec Armis
Fas prius indici, geminent quam littora vocem
Præconis, repetatque tubæ hic reparabilis Echo
Clangorem, Dominoque maris (quaſi nomina Cætus
Æquoreus daret) auxilium poſcente, [d] Catani
Delphines, Phocæque, & cætera turba Marinæ
Gentis in obſequium properantes, ſueta relinquant
Clauſtra ſalis, propiuſque inviſant Principis Aulam.

Nec mihi per ſomnos deerant præſaga futuri
Signa, ſed aſtanti ter rauca remugiit unda,
Bomborumque imitata ſonos, ter murmure vaſto
Littora concuſſit, fractoque in littore fluctu,
Sanguinis immiſti tumuit violentior æſtu.

Quin vidi attonitus, ſalſo quà gurgite dulces
Urgentur primum, fervere ferociter undas,
Et quaſi commiſſas acie pugnare, nec ante
Cedere, quam [e] adverſo miſſas de littore vidi
(Nec vana hæc) Veſtro, *Jacobe*, Tridente repelli.

Inſuper & volucres, circum ſtrepitantibus alis,
Ter ſævam viſæ pugnam miſcere, volatu
Vicinas Aulæ [f] lauros petiere, paratæ
Quos dant auguriis, poſt & ceciniſſe triumphos.

[d] Pro portento habetur, quoties grandiores marini piſces [illegible]
[e] A Belgico nimirum littore, quod Britannico noſtro, etiam ſitu ſuo adverſum eſt.
[f] Ædium quippe *Jacobæarum* Anteriora conſitis undicunque lauris ornantur.

Tempus

Tempus erat, quum vere novo uſurpata reſignet
Acris hyems Maria, & glacies exuta Catenis,
Quas ſibi fecit, aquas brumâ durante rebelles,
Libera nunc ſueto domino parere jubebat.

Quum quotquot diros terra aſpera Martis alumnos,
Quotquot Pontus alit, repetebant limina Regum,
(Blanda quaſi Lacheſis, facilis nimis Atropos eſſet,
Texeret & vitam haud tenui ſat ſtamine Clotho)
Jactantes hominum quam dextra cæde valerent,
Quamque omni miſeris Mortalibus arte nocendi;
Quam peſte & morbis, quam cœli certius ipſâ
Vindictâ, & fragilis naturæ lege, ferirent.

Quorum ego proh quantas vidi vexare cohortes
Atria *Jacobi*, & velut obſediſſe favorem
Principis, ignaras facilem metuiſſe repulſam,
Nec minus audaci virtute petita rogâſſe
Munera militiæ, quam defendiſſe paratas!

Hic primi adfuerant terreſtri Marte periti,
Ferrea gens, poterat quæ nata incude videri;
Queis diverſus honor bello, & generoſa Cicatrix
Vulneris adverſi, nova adire pericula, quodam
Jure dedit, primoſque mori permiſit in armis.

His hominum genus Amphibium ſuccedere vidi,
Et (nec enim ſpecies ſemper dant ſomnia totas)
Semiviros piſces vicino à littore miſſos
Miratus, promtos ſenſi terrâque marique
Ferre, daret bellum quaſcunque aut unda Procellas.
Quantus at his vultu ſtetit horror! Quanta minaci
Undique tempeſtas oculo, cognataque ventis
Ingenii Aſperitas, Pelagoque immanior omni
Sævitia, & pelagi monſtris par! Quanta timoris
Contemtrix virtus, & (qui pudor unus in armis)
Sit fas, ſitve nefas, ferre indignata priorem!

Hac

Hac licuit turbâ vidiſſe incedere ternos
Vix totidem pedibus, truncatum hunc poplite toto,
Illum dextrâ, alium (belli ſors iſta) ſiniſtrâ,
Hunc oculo caſſum, naſo illum, illum aure, vetuſtis
Marmoribus ſimilem jam, [g] ſperatiſque ruinis,
Nec præter pectus quicquam inviolabile telis:
Quippe quod haud belli frangendum caſibus, Orco
Framiſſa, arreptâ navis trabe, membra rependit
Protenus, & formata illo ſeu brachia ligno,
Seu nova crura capit, pars eſt ſolaminis ipſa hæc
Materies magis apta Mari, & ſecura futuri
Vulneris: Hic adeo, haud aliquid fingente Poetâ,
Gens vere truncis, & duro robore nata,
Durum à ſtirpe genus, factum quoque durius Armis.
Sed tamen ignarus ſub formâ hâc *ligneus* eſſe
Miles, nec minui paſſus cum corpore mentem.

Sic olim Daphne facta arbor, juſta triumphi
Omina de fato ſumſit, Lauruſque receſſit.
Hos inter (nec enim ſimulata modeſtia virtus
Caſtrorum) poteras alios audire crepantes
Pro merito, expoſitæ toties diſcrimina vitæ,
Inde alios mortes ſe paſſos mille, nec æquum
Quod ſupereſt Fati, Patriæ Regique negari;
Et Teſtes, (ſeris uſu quod venit in armis)
Virtutis nullos, Chirographa prodere nulla,
Præter conſuetas nimium ſtragique necique
Dextras, & vultus alieno ſanguine pulcros.
(Quanta Cicatricum fuit hic laus, gloria quanta
Deformes adſtare, atque infeliciter arma
Tractâſſe, & Bello tumulatis Artubus, illi
Quod reliquum eſt vitæ, par nobile poſcere funus.

Nec tamen hic deerant, quos magnæ conſcia Virtus

[g] Quibus olim vetuſtate ſuâ, (quod monumentis antiquioribus contingit) conſumendis nomina ſua & memoriam inſcribi ſperant, vel quos ſe ſperant hoſtibus daturos.

Famæ, inhonoratos potius diſcedere juſſit,
Quam laſſare ſacram vili prece Principis aurem,
Aut male conceptis votis debere, quod Armis
Judice, ſe norunt potuiſſe, vel hoſte mereri.

Hos vidi, & (navalis erat, quæ gloria pugnæ)
Virtutem auſpiciis venti, cœlique parabant
Credere, non ſegnes properare, ubicunque vocarent
Chari Fata Ducis, Fatoque potentior omni
Militibus ſua Fama. ----

Primus ibi ante omnes, notis *Sandwychius* Heros
Armis emicuit clarus, dignuſque videri;
Tantus in ore decor, tantum illi pectoris inſtar
Luſerat in vultu, geſtuque & corpore toto:
Quodque olim Pallas dilecto affundere fertur
Tydidæ, ecce levis, capitis de vertice ſummo,
Neſcio quæ, viſa eſt, fati præſaga futuri,
Lambere flamma comas, humeroſq; & brachia; ſplendor
Unde novus ſubito rutilis affulſerat armis,
Atque igni ſimilis, qui vino undæve propinquus
Sulphureæ, partes nunc has, nunc arripit illas,
Et circum ludens flammis, non ante recedit,
Materies quam tota parem conceperit ignem,
Et fæces, purgata magis quam abſumta, reponens,
Avolet in cœlum cita, ſeque immiſceat aſtris.

Talibus auſpiciis, luſus tum Fata futuros
Prædixêre Duci, bellique quis exitus eſſet,
Quum ſic aſtantes affari cœperat Heros,
Fortunam ex aliis, virtutem diſcite de me,
Nec plus paſſa loqui. ----

Proximus huic Afrâ ſua tempora vinctus olivâ
Spraggus adeſt, quo non unquam generoſior hoſtis,
Æquoris Herculei fallaces appulit oras;
Cui Calpen, Abylamque, & quicquid vaſtior ultra
Africa

Africa adhuc teneat, contentus laude minori
Traderet Alcides. Nec poſt metuenda Charybdis
Nomina erunt, Scyllæque, Illo mergente rebelles
Pœnos, Quos iterum victos, quotque Africa nutrit
Monſtra, venenatas video ſubmittere criſtas;
Quodque habet aut ſerpens, aut incola virus *Hiberno*
Cedere *Ductori*, ſoloque hoc [h] *Carmine* vinci.

Nec minus infeſto hoc *Harmannus* littore, notus
Vulneribus bello acceptis, podagrâque per artus
Saucius audaci, Podagræ ſed neſcius armis
Adſtitit, auxilium *Carolo*, patriâque vocante,
Quem puduit dici claudum, tardumve ſenectâ.

Jordanuſque ſatur bellis anniſque, tot unus
Prælia qui vidit, mortali haud ſorte creatum
Quot pæne arguerint; et enim feciſſe Trophæa
Expertem Fati poterunt. ----

Succeſſit juſto huic *Kempthonius* ordine, felix
Cui clauſêre latus juvenes duo, promtus uterque,
Patris ad exemplum, ſpreviſſe pericula, & armis
Feciſſe, ut ſêclo poſſit pugnare futuro,
Inque ſuis patriæ dare ſe poſt funera natis.

Huc *ſatus Ormondo* (quo non invictior alter,
Aut magis humanus rigidum tractaverat enſem)
Adfuit *Oſſorius*, Generiſque & Regis Honorum
Conſcius; in Patriæ cauſâ defendere ſtirpem
Antiquam, & collata à Principe, juſta tueri
Præmia ſollicitus, cujus [i] *Conſtantia* Ferro
Viſa eſt, atque ſtatim Comes huic [k] *Victoria* ſcribi,
Altera *Smyrnæo*, *Batavo* clara altera bello;
Veraque ductoris laudes & nomina ſignans.
Junxerat *Holmæum* huic communis cauſa *Britannûm*,

[h] De Hibernis enim perhibetur, quod virus illis innoxium ſit.
[i] Conſtantia (Anglice *The Reſolution.*)
[k] Et Victoria (*The Victory*) nomina Navium quibus præfuit.

Holmæum

Holmæum, qui eadem meritis faſtigia rerum
Attinget, quæ jam gens Oſſoriana tuetur:
Nobile par, cui Fata velint mandare ſalutem
Jacobi, velut hoc gemino ſub fidere tutam.

Nec minor his *Digbeius*, & infractiſſimus *Hollis*,
Gentis uterque ſuæ decus & nova gloria, geſtiſque
(Hoc ſi fata ſinant) titulos auctурus avitos;
Fata, quibus nimis heu notum Te dura [l] Matheſis
Fecerat *Holliſi*: Quid enim mortalibus ægris
Venturas noviſſe datur per ſidera clades,
Nec datur avertiſſe tamen?

Bechius hinc, *Wylduſque* atrox, & *Finchius* acer,
Et non jam primum Batavorum terror *Hadocus*.
Hos ſuper advenit ſuavis *Chichleius*, & armis
Tantum aſper *Leggus*, Veneris magis aptus uterque,
Si formam ſpectes, caſtris; ſed qui tamen illâ
Formâ, animos Marti ſacros geſſêre, Parentum
Munia (queis [m] cura armorum) non eſſe ferentes
Vana, ſed hinc illis quaſi plus ſit Juris in armis,
Uſu etiam illa ſuo pariter ſplendere repoſcunt.
Herbertuſque ferox, promtus pro legibus æquis
Quas [n] pater aſſeruit linguâ, contendere ferro.
Nec velit intrepidus generoſo deeſſe periclo
Berrius, & duro *Wetwang* Aquilone creatus,
Ducere cognatas ceſſare in Bella procellas;
Queis ſimul *Heywoodus Grandævus*, & inclytus armis
Storius, aſſueti repetens diſcrimina Martis,
*Strickland*uſque [o] novos bello capturus honores;
Holmæuſque minor, ſibique annis *Nevius* impar,
Se comites dederant; & (cui quot littora, tractus,
Quot maris ignoti, regioneſque addidit orbi,

[l] Peritiſſimus enim Aſtrologiæ *Holliſius*, ſibi magnum periculum ex bello impendere præſagierat.
[m] Regiorum ſcilicet Armorum Præfecti, Angl. *Maſters of the Ordnance*, &c.
[n] Regii Fiſci Procurator.
[o] Ad Equeſtrem dignitatem tum promotus.

Vix

Vix poterant amplum ſatis exhibuiſſe Theatrum)
Narburgus juvenis.

Ibat & *Ernleii* proles generoſa, modeſto
Cui pacem ore lepos ſolam, ſed pectore toto
Juſtior Aſperitas bellum mortemque ferebat.
Adfuit & forti *Wordeno* natus, & audax
(Quicquid ſollicitæ metuunt audire parentes)
Intrepida tentâſſe manu *Kiligræus*, & illis
Juncta cohors juvenum, quos omnes prodiga vitæ
Fama, ſui immemores, quoſcunque adiiſſe labores
Juſſerat, uxorumque preces, lacrymaſque tenelli
Pendentis de patre gregis contemnere ----

Una omnes adſtant, ſævique pericula Martis
Depoſcunt alacres, meriti ſatis ampla prioris
Præmia capturi, modo ſi ſub Principe tanto
Fas quoque dura pati. Quid enim diſcrimina belli
Degeneres metuant, animaſque exponere viles
Pro patria dubitent, pro qua *Jacobus* in armis
Fulget, ut hoſtili det bellis ſanguine finem,
Aut ſi non alio redimenda Britannia *Lytro*,
Hanc redimat proprio (Proh victima quanta!) cruore?

Quos *ſic Jacobus*; Patriæ cariſſima proles,
Regis an Auſpiciis, noſtro an moderamine fiſa
Accêſtis, cœpti mecum vos dignor honore,
Vos ſocios belli capio, ſocioſque triumphi;
Nec caſus tantum, ſed præmia partiar, unus
Seu manet interitus, ſeu gloria, prælia noſtro
Non minus exemplo volo, quam mercede moveri.
Quin agite O Socii, ad fraterna palatia læti
Tendamus, Regiſque pii quam publica cura,
Quam nobis mandat Communis Patria Cauſam
Scituri, virtus quid juſtis poſſit in armis,
Experiamur, ait. Simul omnes ore modeſto
Innixi gladiis, molli ſua corpora flexu

Curvarunt humiles, vel protenus ire parati,
Quo *Caroli* nomen, quo Patria cara vocaret,
Rectoriſque uni ſibi parcere neſcia virtus.

Nec mora, *Jacobo* properant Duce Regis ad Aulam,
Inde novos cœptis animos, nova robora bello
Principis ex vultu capturi, atque omine tanto,
Indignati armis dubios ſperare triumphos.

Quos ſic alloquitur Princeps, mea maxima Regni
Gloria, quorum armis violatum Patria nomen
Credit, Felices properate, redite trophæis
Læti omnes, veſtroque, meus quos enſis honores
Dat [P] meriti; Nec enim veſtris cervicibus unquam,
(Quem gero ego vindex) graviorem incumbere ſpero.

Tuque *pius Frater* (quem nulla pericula terrent,
Communiſve mihi tecum jactura ſalutis,
Dum mihi vel Patriæ, vel Regni jura tueris)
Incolumis redeas, genio munitus eodem,
Quo pridem *Hiſpanos* poteras, quo vincere *Gallos*,
Aut *Belgas*, iterum veſtra virtute domandos.
Quippe mihi fruſtra dederit Natura Coronam,
Fruſtra cara parens naſcendi ſorte priorem
In lucem ediderit, ſi non (*Cariſsime*) virtus
Veſtra, mihi Regni hoc quodcunq; hæc Sceptra decuſq;
Conciliet, jubeatque Throno confidere tutum:
(Quam tamen heu quantus pudor eſt impendere Belgis,
Vili hominum Generi, & vix digno Principis irâ!)

Dixerat, & Fratri libare ter oſcula viſus,
Commiſit Thamiſi, ſed & hæc ſuper addidit ultra,
O utinam longa ſerie qui vindico clauſum
Æquor ab *Edgaro*, *Dominuſque* hoc jure *profundi*
Dicor, adhuc *Marium Dominus* felicior eſſem,
Ut poſſim his curam veſtræ mandare ſalutis,

P Stricto quippe gladio milites creat Rex.

Nec

Nec juſtis [illegible] aſſit refragari mobilis unda
Imperiis ——

Cui contra *Dux*; ſpero armis me reddere Grates
Poſſe *Tibi*, nec, quam ſcio me debere *ſenectæ*,
Vel *morbo*, parcam *Regi* profundere vitam,
Aut *Patriæ*. Et dicto citius committere cymbæ
Se properat, magnâ juvenum comitante catervâ;
Quos ſua laus Gentis, quos mens virtutis avitæ
Conſcia, ſive fui, & generoſo pectus honeſto
Incoctum, propriâ vetuit producere culpâ
Ævum, vel famâ redituræ parcere vitæ.

Primus ibi ante omnes Virtute inſignis, & armis,
(Neſcio quis, cui mira vigebat gratia vultu,
Membraque ſpondebat per ſingula ſparſa Venuſtas
Intus quid majus ſolito, & *generoſius inſtar*
Mentis, quæ tantos extra ſpirabat honores)
Viſus adeſſe mihi, clypeo munitus avito,
Quem tituli Proavorum ornabant undique ſcripti,
Sic tamen ut toto locus unicus orbe vacaret,
Quem Morpheus docuit ſupereſſe Inſignibus, Hèros
Quæ foret ipſe brevi Patriis meriturus in Armis,
Arbiter haud *læſi* [p] fruſtra ſtatuendus *honoris*
Quem prius ipſe ſuis præſcripſit moribus: Altum
Howardo nomen, cui non ſatis eſſe pericli
Viſum, ni ſecum geminos in prælia natos
Ducat, & expoſito magnâ cum prole parente,
Spem quoque Familiæ voveat.

Excipit hunc Juvenum ecce manus, quos ordine longo
Miſit amor Patriæ, & laudum generoſa Cupido,
Mulgravius, Backhurſt, Clermont, Lonſleius, & altâ
Stirpe *Mohun, Maidſton, Napier, Taſtonia Proles*,
Dunkelly, Regi à Camera dilectus *Hamilton*,
Atque illi *Feltonus* eodem munere junctus.
Nec primum nunc Noti armis, Porterus uterque,
Et famæ pars magna, feret quam [q] nuncius *Aſton*,
Ipſe ſibi viſus. Notus dein *Vanus* in armis
Adfuit, & fortis *Daniel*, lætique periclis

p Creatus Comes (quem Mareſchallum vocamus) ad ſquem ſpectat de duellis cæteriſque quos appellant) Honorum cauſis & litibus decernere.

q Quibus ab illis exigo ut Te ſalvum mihi reddant.

[r] Miſſus quippe ad Galliarum Regem Dici illius geſta & exitum relaturus.

Bertius,

Bertîus, *Church-hill*, magno Patre dignus uterque.
Hinc mihi, queis propriâ ex aulâ permiſerat *Heros*
Secum una belli commune ſubire perîclum,
Promti omnes alacrique animo ſuccedere viſi;
Petroburghus honore alto, juſtéque ſuperbus
Officio Cameræ, Belloque tonante facetus
Hawleius, vicibus ſueti de nocte quietâ
Ceu *Tutelares Genii* defendere ſomnos
Principis, Armorum docuit quos longior Uſus
Excubias pariter caſtris egiſſe, vel Aulâ.
Heroas tantos ſequitur juſto ordine lætus
Vultu, animóque hilaris, [r] *Tureno ſanguine cretus*
Magnanimus Duras (*fidum Turenus Achatem*
Quem dabat eſſe *Duci*) titulis ſatis auctus avitis,
Marchio natus, & ipſe [ſ] novos meriturus honores.
Corporis infirmi hinc ſed firmi pectoris audax
Wrennus, [t] inæquali ad bellum certamine miſſus,
Nec ſævum ulturus, calamo niſi vindice, Vulnus.
Et qui non bello meruit *Trelaunius* uno,
Aſſertor Patriæ pariter linguaque, manuque;
Talbothiuſque ingens armis, & corpore magnus:
Et quo nemo unquam Mavortia caſtra ſecutus
Sanctior, Antiquæ *Thynnus* pietatis, [u] honeſta
Lucra etiam in bello ſpectans, prædaſque rapaci
Militiæ ſemper nullo diſcrimine juſtas,
(Proh nova relligio caſtrorum!) addicere fiſco
Non niſi bis captas ſolitus, miſſaſque ſub haſta
(Omnibus æquali quam vult pendere bilance)
Juſtitiæ; excepit quem multo ſanguine tinctus
[x] *Vaughanus* (ſic bella nimis ludebat inermis
Somnus) & adverſo ſuffoſſus pectore fortis
Nicholſus, bellique avidus *Griffinius* Hæres,
Officio, meritiſque ſimul ſucceſſor habendus.
Adfuit inde *ſtolæ cuſtos* Dupuiſius, armis

r Mareſchialli Turen. Nepos.
ſ Creatus ſcillicet Baro de *Holmby*.
t Duci a ſecretis, adeoque calamo magis quam gladio aſſuetus.
u Adillum ſpectabat de ſpoliis bello captis, (quæ Regio fiſco addicenda erant, quæ mercatori reddenda) decernere. Ang. *Commiſſioner of the prizes*.
x Prælio interfectus.

Induat,

Induat, an ſolitâ *Jacobum* veſte, perinde
Muneribus fungi promtus, lætatus & ipſe
Belli habitu; nimiumque Maris *Duvallus*[y] *Amator*,
Atque dolens, Neptune, tuis non poſſe caballis
Fræna dare; hinc uno quo nolim [z] Prodromus eſſet
Trevanion Domini, fato præcedere viſus.
Et, quos non omnes diſtincte agnoſcere ſomnus
Permiſit, rapidis ſuperantes æquoris æſtum
Pectoribus, numeroque, capit quas littus, arenas.
Nec tamen hic deerant, quos miſerat uſus in Armis
Diverſus, ſtragique pares, quam fecerat enſis,
Scarburgus medicinâ & nota *Perſius* arte;
Ambo, faber lacerâ reficit quas nave, periti
Corporis humani pariter ſarcire ruinas.
Et dum militibus bellum, dum ſuadeat Iram,
Pæne hic oblitus, ſua quam Provincia ſpirat,
Pacis, & hoſtili feciſſe cruore ſacerdos
Jacobi genio promtus; ſed & eſſe cruento
Fas erat hic—

Hoc ſtrepitu circa comitum, Reditumque vovente,
Per ripas quæ fuſa ſtetit multo agmine, Turbâ;
" Intentis dat ſigna *Heros*, ferit æthera clamor
" Nauticus, adductis ſpumatque aqua verſa lacertis,
" Infindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit
" Convulſum remis, roſtris ſtridentibus æquor.
Quæque citi fuerant Certamina [a] Remigis, omnes
Nervorum [b] arte locum tendunt ſuperare priorem,
Et nunc altera abit, nunc præterit altera victam,
Nunc unà plures cymbæ, junctiſque feruntur
Frontibus, & longæ ſulcant vada ſalſa carinæ.
Bomborum interea tonat undique murmure cœlum,
Dum prætervectum à ripis Tormenta ſalutant
Horriſono ſtridore Ducem; *ſic æmula Belli*
Vota hic ſola placent.—
Jamque propinquabant claſſi, metamque tenebant,
Quum plauſu fremituque virûm, ſtudiiſque faventum

y Duci ab Equis, ſed perpetuo fere ex Mari Ægrotans.
z *Gentleman Uſher.*
a Per Enallag. numeri pro Remigantium.
b Plus quippe Arte, quam robore remigatur.

Conſonat omne æquor, vocemque incluſa volutant
Littora, pulſati colles clamore reſultant,
Undique *Jacobo* Gratanti milite, Naviſque
Inſcripta à puppi cognomine *Principis*, ipſa
Iſtis viſa *Duci* verbis ſpondere ſalutem.

Regis an auſpiciis, *Ducis* an moderamine felix,
Spondeo *fortunam Principis* eſſe meam;
Hinc nec Ego *undarum*, nec *fluctus* horreo *belli*,
Puppe *maris Domitor* dum mihi utrinque ſedet,
Fortunam vexiſſe nec opto *Cæſaris*, *Armis*,
Et *Genio* illa *mei* neſcit abeſſe *Dueis*.

Sumſit & *invictus Dux* omen, & ordine claſſe
Diſpoſitâ, ſignisque datis (quibus æquore vaſto
Seu modò maturare velit, ſeu ſiſtere curſum,
Latius errare hinc propiuſve accedere ſcirent)
Extemplo nautas juſſit revocare rudentes,
Albaque ſurgenti paſſim dare carbaſa vento
Inſequitur clamorque virûm, ſtridorque rudentum,
[d] *Ergo* *doctarûm* notis dum Fiſtula ſignis
Perſtrepit, argutiſque ſonis opus æquoris urget,
Tardantes ſocios hortante Celeuſmate nautâ.

Et nunc [e] pectoribus Prymneſia tarda toroſis,
Nunc junctis humeris robuſte [f] impellere vectes,
Quæque ſubimpactâ jacet Anchora grandis Arenâ,
[g] Sublimem ſperare, propinquam [g] accedere proræ
Lætantes, tandemque *jugo* [h] *trabis* indere fixam.

Interea antennis aptat pars altera vela,
Supparaque extendit ventis elata vocatis,
Et qua diſcurrunt pendentes ordine Funes,
Implicat arboribus Trochleârum ope lintea vaſtis,

c Acclamantibus nautis, qua Ceremonia Thalaſſiarcham ſemper excipiunt, indiſtincto ſono, Angl. *Cheer hoe*, ter vociferantes.
d *Boatſwains.*
e *Working at the Capſtan.*
f *A Peck.*
g *Come home.*
h *The David.*

Et

Et quibus ornatâ quaquâ rate Nauta ſuperbit,
Inſtabili pandit jactanda [k] *Apluſtria* vento.

Quanta mihi tum Pompa maris ſe, Gloria quanta
Obtulit intento! quum ſumma cacumina cœlo
Inſererent Mali, & nutanti vertice Turres
Grande minarentur ſubjecto deſuper Orbi.
Ingemit Oceanus grato ſub pondere, ſpumas
Ære ruente Maris, dum celſi in puppibus auro
Ductores longe effulgent, Oſtroque decori,
Cætera dum per tranſtra micat, funeſque juventus.

Jamque tubas inflare pares cœpere, periti
Ære ciere viros, martemque accendere cantu,
Et dedit unda parem reſonans, & littora vocem.

Vix è conſpectu patriæ telluris in altum
Vela dabant læti, quum denſa nube ſerenum
Ex oculis rapiente diem, caligine facta
Tutior, hoſtilis Belgarum accedere claſſis
Dicitur: accepto rumore, intendere ventis
Omnia vela jubet *Jacobus*, & ocius Euro
Optata properat claſſes committere pugna.

Quantum at tum tenebris debebat Belgica claſſis,
In paucos ſervanda dies, ubi Gallus adeſſet
Conſors, an parti *Jacobo* teſtis honoris?
Quando legens relegenſque ſinus, quos [l] *Cæſaris* arma
Luſtrarunt, Gallo diſcente, ſubegerit æquor
Adverſum, & ventis contra ſpirantibus, Æſtûs
(Quo tamen in bellum ipſe animis ferventior arſit)
Auxilio, fruſtra invitas, tranaverit undas;
Quum ſeſe Belgas fallaces inter Arenas
Turpiter abdentes latebris eduxerit, & qua
Arte valent ſola, producere inutile bellum,
Non pugnando ultra haud permiſerit.

k *Streamers.*
l Cantianum & Suſſexianum agrum attingentes.

His

His ſtudiis *Portſmuthe* tuis Fortiſſimus oris
Decedit *Jacobus*, & hinc ſua littora Gallis
Oſtendens, illinc quos terra *Britannica* portus
Dat, quanto terrore minax hinc inde trementes
Præteriit terras? Dum regia quercus in undis
Radices egiſſe novas mihi viſa, Procellas
Intrepida accepit, Boreæque Eurique furentûm,
Quum quum ſtaret adhuc ſilvis, felicior iras
Suſtinuit, plus poſſe ſuam nec Belga valere
Nunc rabiem ſperet.

Ventum erat ad Syrtes, & quas *Goodwinus* Arenas
Nominat, alliſis infidum ubi frangitur undis
Æquor; quum ſubito Claſſis micat alta vadoſis
Disjuncta hinc Brevibus, Bellum quoque viſa minari.

Agnoſcit Belgas *Jacobus*, & uſque ſecutus,
Dilabi proprias fugientes compulit oras;
Inde tuos *Southwolde* ſinus tranſvectus, Aquarum
Dulcis ubi multâ ſcaturigine copia ſurgit,
Inſtaurare parat Claſſem, Belloque futuro
Quæ mora longa maris, caſuſque & damna profundi
Exhauſere, omni reficit molimine. Nec jam
Purpureos Phœbus ter luce retexerat ortus,
Quum viſus multo exploſas audire fragore
Bombardas, oculoſque, ſonus quâ perculit aurem,
Intendens, propere *paſsis*[m] accedere velis
Cerno ratem, qualis ſpeculatum emiſſa, frequenti
Igne propinquantis ſperata in prælia claſſis
Signa dedit latè. Summi faſtigia mali
Protenus aſcendunt Juvenes, ſi forte quid alto
Proſpiciant; quorum bene notis vocibus alter,
Quas video ſilvas ſaltuſque innare profundo
Ardens exclamat, ſterni alter Claſſibus æquor
Detonat, & ne non bene proſpexiſſe videri

[m] Eo ſigno hoſtem in propinquo eſſe intelligunt nautæ.

Poſſit,

Poſſit, mille videt, quas non capi unda, Carinas.

Sed non ſe falli vanis Clamoribus acer
Narburghus patitur, ſimul alta Cacumina præceps
Advolat, & ſubito luſtrans maria omnia circum,
Inſtare æratis agnoſcit puppibus hoſtem
Tres procul hinc leucas; & qui navalis in armis
Uſus erat, [n] *Mali* laxare ſuprema *prioris*
Vela jubet, fixoque diutius Anchora morſu
Ne teneat naves, *Bombardis Claſsica mandat.*

Namque ita decumbens præceperat Optimus armis
Jacobus, ſi qua interea Fortuna fuiſſet,
Ne dubitent ipſi dulces abrumpere ſomnos,
Aut (quæ ſemper erant vigilanti inſomnia) Charo
Marte auſint, Patriaque pati dormire vocante.

Quanta Duci memini tunc gaudia, læta diei
Quam fuit iſtius facies, cum ſtaret in armis
Procinctus, ſævique ſuis diſcrimina Martis
Mandaret cura vacuus? Sic conjuge ſponſus
Ambitâ multum fruitur, ſic meſſe laboris
Agricola, optatas nec fruges certior Alter
Falce ſuâ, quam Ferro alter ſibi demetit Hoſtes.

Nec mora, ſe bello expediunt, Martique futuro;
Egeritur rerum moles, & quicquid onuſtis
Bombardis obſtare poteſt, committitur undis.
Hic capſas videas fluitare, ſedilia, menſas,
Et cum [o] *Penſilibus lectis*, tabulata ſtegarum,
Nec dubitat, quas quiſque ruinas deſtinat hoſti,
Hic tentâſſe prius, nec vano [o] parcere pacis
Splendori.

Inde Viris ignara metûs, & digna *Britannis*
Virtus, Inde animi, juxta vitæque capaces
Et mortis, tantoque *Pudor Duce* vincere ſolum.

[n] Quod ſignum eſt navigaturæ Claſſis.
[o] *Hammocks.*
[p] *A clear Ship.*

Nec mirum his animis dextras ſervire paratas,
Quodcunque ad Cœptum, Telluris adire labores
Sive Maris ſit opus, promptas utrinque, nec uni
Contentas debere Elemento Martis Honores.

Evocet Oceano ſi Triton Monſtra profundo,
Mulciber Ætnæo quæ Fulmina fabricat igne
Accendat pariter, ſunt & quoque Fulmina nobis,
Et quæ formident, non vana tonitrua Belgæ.

Sed quid *Magne* tuus miles ſua fortia verbis
Jactet Facta, monet Tempus nova Facta citemus?
Nunc rate purgata, & propriâ ſtatione locato
Milite, quo belli data Munia poſſit obire,
Signa damus reliquis, ſubito molimine, (Ventus
Quotquot ab adverſo ſpirans pateretur) adeſſe.
Et jam ſumma Mari proceſſit Claſſis aperto
Vexillis diſtincta ſuis, atque ordine Belli.

Sandwychus primas acies, poſtrema tenebant
Gallorum Juvenes, medio *Dux* agmine *Magnus*
Vela dabat; forti *Sandwycho Cærula* [q] navem
Signa decorabant, *Gallis* [r] *albata*, [s] *rubenti*
Indita ſervabat tinctu *Prætoria* [t] *puppis*.
Inſuper & ſummi celſo de vertice mali
Juncta trium *Regnorum* [u] *Inſignia* clara micabant,
Et, quibus ex uſu felix dedit *Unio* [x] nomen,
Ornabant poſtrema ratum Carcheſia, at [y] *horror*
Sanguinis in primis pompâ pendere minaci
Viſus erat, ratibuſque ſuis quos ambit honores
Nauta, per Antennas fuſa undique, & undique ludos
Splendida præbebant rapidis [z] *Apluſtria* Ventis.

Principium pugnæ Ponto ſeſe arduus infert
Ad Boream *Sandwychus*, ovanti milite cinctus,
Clamorem excipiunt ſocii, fremituque ſequuntur

[q] *Blew Squadron.* [r] *White.* [s] *Red Squadron.* [t] *The Admiral.* [u] *The Standard.* [x] *Union Flag.* [y] *Bloody Flag.* [z] *Put abroad their Streamers.*

Horriſono

Horriſono, caſſique metu committere pugnam
Cum *Belgis* ventiſque parant, (ſic quippe *Britanniæ*
Virtuti cœli numen proviserat, Eurus
Pugnet ut in partes hoſtis, nec *Belga Britanno*
Sic quoque par congreſſus erat) *Vanghentius* (unus
Qui meruit non *Belga* fuiſſe) ardore ſuperbo
Dirigit huc curſum, opponitque [a] Phalanga Phalangi.

Venit ſumma dies & ineluctabile tempus
Sandwychi, & *Lacheſi*, non *Belgis* debita fata.
Quum quantus fuerat Dux invictiſſimus Armis,
Quantus conſiliis, tantus quoque cladibus eſſet:
Et mihi quæ modo per ſomnum vaga lambere viſa eſt
Flamma caput, nunc æthereo ſacraret & igni,
Advehit heroas ſedes ubi flamma quietas,
Et ſeſe cœlis oſtendit Diva [b] Matheſis
In terris etiam ſtellis bene nota, nec harum
Complecti motus animo, varioſque meatus
Sueta, niſi quo ſe felicius inſerat Aſtris.

Hoc tibi (Dive) paras fato committere Bellum,
Heu nimium dilecte polo, terriſque negande!
Quum denſis inſtant atroces puppibus Hoſtes,
Primaque conſulto præterlabi agmina paſſi,
(Quæ revocare gradum contra ſpirantibus Euris,
Nec ferre auxilium ſperarunt poſſe) relictis
Tutius intentant vim omnem. ----

Jamque nova audires implere tonitrua cœlum,
Continuoque micans diſrumpi fulgure, littuſque
Infremere, inſolitoque æſtu fervere profundum.

Interea ipſe dies, quo nunquam clarior alter
Eluxit, ſubito fugit, & ruit Oceano nox,
Involvens umbrâ magnâ Pontumque Polumque,

[a] *Tables their length.*
[b] Cujus peritiſſimus erat *Sandwychus.*

Belgarumque

Belgarumque [c] dolos. ----

Inde faces, ferrumque volant, & miſſile plumbum,
Effuſiſque ferus belli cadit imbribus horror,
Ipſum elementum ignis poſſis ut credere totum
Depluere, accenſiſque Maris torrentibus, unum
Sulphuris ire lacum; fruſtra orcum & dira precamur
Hoſtibus infernæ ſedis tormenta, furore
Pugna dat iſta ſuo; *Minos*, *Rhadamanthus* & Atrox
Æacus abſtineant pœnis licet omnibus, Ipſo
Haud facile hic aditus mortis diſtinguitur Orco.

Nec tamen his quicquam *Sandwychi* territa virtus
Stat ſummis invicta malis, ſcopuliſque Profundi
Æmula, quos etiam mediis agnoſcimus undis
Immotos, ſic ille caput, ſic ora ferebat
Deprenſus numero, at caſu ſublimior omni.

Quantâ ſtrage virûm, *Batavorum* ſanguine quanto
Iſte dies ibat, quàm turbidus æquore toto
Purpureus fuſi defluxit ſanguinis æſtus?
Quum tabo, ſanieque fluentia membra, cruore
Merſa ſuo primum, veluti luſtralibus undis
Gaudebant iterum mergi, lacerique ruinas
Corporis, oceano ſaltem componere tutas
Sperabant miſeri, durique opprobria fati
Quærebant condi hic, ceu fido gurgite Lethes.

Atq; utinam hic ſomnus (nimiũ proh mortis imago!)
Non temerata truci voluiſſet lumina cæde,
Nec tam diverſas clades, motuſque fuiſſet
Vaticinata quies; cur non mihi pectore toto
Æternæ potius noctis ſopor incidit? eſſem
Saltem oculo innocuus. ----

Non ego tum toties redeunti Martis opimis
A bello ſpoliis, Solis, Lunæque labores

[c] Qui fumo Machinas igneas, ſive naves incendiarias obſcurante, ſecurius appropinquabant.

Permenſo

Permenſo [d] toties, cœloque, aſtriſque propiñquo
Fortunam infauſto vidiſſem ſidere verti.
Non numero oppreſſum noxas ego ſortis iniquæ
Plorantem audirem, tantâque in clade relictum
A Sociis, totiſque licet contendere velis
Conentur, nihil infauſto ſuccurrere poſſe.

Non tum vulneribus cruciatos corporis Artus,
Deformes vultus, mutilataque brachia, mancas
Cum pedibus dextras, & totum Corpus in unum
Mutatum vulnus (ſi fas modo dicere corpus)
Vidiſſem, nec membra (ſit ut levis unda) cruore
Naufragium jam paſſa ſuo, nec morte perire
Tantum unâ permiſſa, adeo hic concurrere quærit
Congreſſu fortuna [e] pari.

Hinc pelago diverſa lues, & in Arma vocatus
[f] Vulcanus, factus mediis violentior undis;
Ferrea bis navi rapidos manus inſerit uncos,
Bis proram fruſtra, bis tentat machina puppim,
Nec valuiſſet adhuc, ſi non impacta [g] Carinæ
Hoſtili, adverſo torrente, immota ſtetiſſet
Sandwychi navis, firmæque ſimillima rupi
Fluctibus oppoſitæ, quam crebro verbere cæſam,
Uſque licet pulſum, tandem ſupereminet æquor:
Sic ſteterat *Sandwychi* ingens immobilis undis
Puppis, quum flammas latè dare pinguibus ignis
Affixus tædis, & tecto Sulphure vivax
Ceperat, ac faciles præbere alimenta Carinæ
Nunc pice, nunc liquidâ rapuere incendia cerâ.
Jamque coruſcabant paſſim omnia, & undique funes,
Materiamque ratis flammâ populante, ruinis
Stratum æquor, ſua, ſorte novâ, miſcere videtur
Prælia, nec diſpar Batavis hinc *unda*, Britannis

[d] Quâ Mathematicus erat.
[e] Quippe quæ in *Sandwycho* habuit, cui ſe totam opponeret.
[f] *Fireſhips.*
[g] *Lying thwart their Hawſe.*

Inde *ignis* forti pariter decernere pugnâ
Ceſſant. ----

Hinc eſt quod videas Mali, Antennæque per æquor
Disjectas partes fluitare, nec æquore toto,
Quo fato pereant, certas, nunc cedere flammis,
Nunc undis, & utriſque ſimul debere Ruinam.

" Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammas,
" Hi ne mergantur, tabulis ardentibus hærent,
Pendenti de puppe Scaphæ pars altera velox
Inſilit, at nimium ſimilis facta illa Charontis,
Verſa ſtatim miſeros congeſto pondere merſit.

Unicus in tanta *Sandwychus* ſtrage recuſat
Fortunæ ſupereſſe ſuæ ; ſtetit eminus Armis
Ingens, unde omnes ſpumoſa per æquora ſparſas
Aſpiceret clades, *juſto* caſurus & Ipſe
Horrore.

Non pretioſa petit cumulato Thure ſepulcra
Sandwychus, Fortuna, tuus ; non pinguis ad aſtra
Ut ferat è membris Eoos fumus odores ;
Fecerit hoc ardens incenſæ flamma carinæ,
Riſurus cum Vana ſui ludibria trunci,
Oceano (cujus ripas nunc ille tremoris
Inviſit primum vacuas) fluitantis, ad ignes
Æthereos veheretur.

Sed non extremis ſic ceſſit Cladibus *Heros*
Eboraci, Fato ſed enim, ventiſque renitens,
Robur ubi medii denſant fortiſſima belli
Agmina, contendit lætus, ſpretorque Periculi
Provocat averſam ſortem, vix ſat ſibi viſus
Hoſti vicinus, ſeptem licèt undique totis
Viribus intentent uni diſcrimina Naves.

Unius ſic juncta ferarum turba Leonis
Congreſſum petit, & numero tam diſpare, ſperat,

Quic-

Quicquid deeſt animi, penſare; haud ſecius hoſtis
Belga ſuæ gnarus Virtutis, prælia tantum
Legibus his audet tentare, nec his tamen ipſis,
Sive æquo dare ſe Ponto, ſeu vela *Britannis*
Obvia ferre valet, longo eminus intervallo
Irrita tormentis jaculatus tela, faventi
Fortunâ indignus.

O quam commiſſos ſibi tum *Jacobus* inertes
Secum indignari! quam non ſatis eſſe pericli
Cœlos incuſare? oculis huc venimus, inquit,
Uſuri, an manibus? date, ſi virtutis honori
Quis ſuperis locus eſt, date belli Legibus æquos,
Quos (ſi fata ſinant) nec deviciſſe pudebit;
Poſcere fas mortem, vel Pugnam Principe dignam,
Neutram Ego detrecto ſortem; modo Craſtina [h] Fratris
Debita Natali *Belgarum* cæde ſacrata
Feſtior ire dies poſſit; Tibi *Carole* dignam
Hoſtiam Ego propero mactare. ----

Tu modo id ignoſcas *Clemens*, quod ſanguine tanto
Sacra *pio* facimus *genio*; quas fundimus Aram
Ante tuam vitas, victuræ Fata, rogamus,
Principis apponant famæ, & venientibus annis;
Nec Fratri invideo, ut noſtro quoque tempore vivat.

Vos modo ſepteno [i] hinc memores quid contigit anno,
Credite vincendos iterum veniſſe *Batavos*,
Et nova virtuti veſtræ debere Trophæa;
In manibus veſtris quantus ſit *Carolus*, Eſſe
Fata velint; ----

Nec ſinite, illa Dies, quæ magni prævia Partûs
Olim formavit *Carolum*, mundoque paravit,
Fauſta minus nunc abſolvat revoluta labores,
Queis *Felix* & *Magnus* erit Naſcendus, ----

[h] Vigeſimo nono *Maii*, natus eſt ſereniſſimus *Carolus*, vigeſimo octavo commiſſum hoc prælium.
[i] Quando inſigniſſimam victoriam à *Belgis* reportavit *Eboracenſis*.

Non

Non mihi res agitur: poteram ſecurius ævum
Armorum à Strepitu ſemotus, Fratris in aulâ
Tranſegiſſe, aliaſque illic agitâſſe Choræas,
Quam quas jactatâ ducit rate turbidus Eurus,
Non mihi ſic Citharâ litui vox gratior audit,
Non ſic Horriſoni concentus æquoris omnes
Harmoniæ exuperant numeros, Tormentaque ſomnis
Compoſitis adverſa, ſonoque adverſior omni
Cura Ducis. ----

Sed vos O[k] Socii; vobiſcum volvere caſus
Poſſe eoſdem, duri vobiſcum præmia Belli
Partiri, quos non hoc cogit adire Labores?

Nec minimum hoc quod tot Fortunæ pignora Regni
Nobilitas huc miſit, En adſtat ut undique Pubes
Heroum, veſtro exemplo meritura parentum
Nominaque, & Titulos ---- ſimul aſſenſêre cohortes,
Elataſque altè, quæcunque ad bella vocaret,
Promiſêre manus; dictoque ſtatim ocyus omni
Tormentis ſeſe accingunt, ſtragique futuræ.

Non illic quenquam trepidanti pectore ſortem
Audires damnare ſuam, quod in Arma coactus
Venerat; Inviti natos, dulceſque *Britanni*
Linquimus uxores, canoſque ætate Parentes,
Et natale ſolum, ſed & horum ubi commoda poſcunt,
Inviti nunquam miſcemus prælia; Vini
Hinc uſus revocare animos à Marte remotos
Utilis ignavo *Belgæ*, haud permittitur *Anglis*,
Sat calet hic Virtus ſine Baccho, & cura levandi
Nulla ſitim, niſi quod [l] Bombardis & ſibi eâdem,
(Quæ juxta ſtat) utrinque æſtus reſtinguitur undâ.

Interea rauco miſcetur murmure cœlum,

[k] Vos ſc. mihi gratiores eſtis.
[l] Quæ niſi ſubinde refrigerentur (Angl. *ſpunged*) non ſineſummo periculo onerari poſſunt.

Turba-

Turbatuſque aër Ponto commiſſus, & igni,
Principium pugnæ dederat, Martemque remotum:
Quum vacuus terrore ſilentia *Maximus* armis
Imperat, & ferri non vanos fundere nimbos,
Hoſtiles donec pertingant certa carinas
Tela, nec incaſſo jaculum prætervolet ictu.

Et mihi tum quantis animis, tum Robore quanto
Oſtendit Morpheus duros adſtare *Britannos*,
Et ferri globulos ultra citraque rotatos
Aſpicere intrepidos, donec per Tranſtra Carinæ
Conferta, & Malos, per Vela, & Carbaſa miſſos
Juſſerat ulciſci repetitis ictibus Heros?

En dicto citius crebro undique fulgure lucent
Omnia, & immani ſtrepitu circum ingruit Horror,
Glandibus Hic ferri vaſtis, æriſve liquentis,
Hic Plumbi gravibus ſufflati pulvere maſſis,
Hamatis mortem globulis Ille, Ille rotundis
Deſtinat, &, jungit quas trabs[m] tranſverſa, Catenis
Injectis, rapidoque intinctis ſulphure ſtupis;
Queis ſimul emiſſis, committi bella fodinis,
Protenus exclames totis, & deſuper *Ætnam*,
Veſuviumque dari.

Heu quot Ego formis volitare per aëra mortem
Vidi, quam diros atrocem agitare triumphos
Atropon, inſtantemque malis urgere cruentas
Cæde animas? tanquam ſatis haud *mortale* fuiſſet
Naſci homines miſeros, & circumferre ruinas
Principiis vitæ, niſi jam labentibus ægris
Ars conferret opem, & nobis quoque *Fata* daremus.

Cum tamen intrepidus Fati data penſa peregit
Parcarum *Jacobus*, & undique Morte petitus
Accepit nudo diſcrimina pectore, ſolo
Virtutis, Geniique ſui munimine tutus.

[m] *Chain-shot.*

Hinc illi nullus (*veterum cura iſta*) [n] rudentum
Uſus erat, timido ſed enim debere pudori
Vitam indignatus, ſumma de puppe micabat
Clarus, & attonito dabat hoſti intendere Vires
Unà illic omnes, etiam ipſa perîcla laceſſens,
Oppreſſæ nec ſcire timens, quid Fata pararent
Virtuti; multo quum Vela foramine quaquâ
Pertuſa, in caſſum diſtendere Navita Ventis
Speraret, maloque ſtatim pendente ſuperba
Decidèrent vexilla *Ducis*, ſimiliſque ruinæ
Tota ratis facies, *Belgæ* ſponderet inerti
Succeſſum, Flammiſque feris inſtare favori
Fortunæ ſuaderet; at haud ſic territus Acer
Jacobus ſævos ſævis jubet ignibus ignes
Ulciſci, votoque omni tua dextera [o] *Leke*
Certior, ignivomam ſpumanti Gurgite Puppim
Protenus immergit, nec quicquid in æquore toto
Undarum, veſtras poterat reſtinguere flammas.

Quid laceros memorem funes, ſciſſoſque Rudentes,
Diſruptum clavum, & caſſam moderamine navem?
Haud aliter *Jacobe* tuæ documenta dediſſe
Virtutis Fortuna parat, fauſtiſque triumphi
Auſpiciis, nulli patitur ſuccumbere cladi.

Inde novæ Bello vires, rovocataque pugnæ
Gloria, *Ruytero*, quacunque accederet ingens
Jacobus, cedente, *trahit tantum Ille timoris.*
Nec ſic urgenti ſucceſſus una Carina
Sufficit, exactis veluti venator anhelos
Mutat equos ſtadiis, mutata puppe, vocabant
Quocunque invictum majora pericula, tendit
Protenus, Inſiliunt Cymbæ unà Fidus *Achates*
Blanckfordus, *Dupuyus*, & haud ignobile pectus

[n] Rudentibus Arctiſſimo nexu circumplicatis Thalaſſiarchæ ſaluti proſpectum iri voluerunt Majores noſtri, cuique in finem fumus etiam hodie ex publico ærario ſuggeritur.

[o] Formentarius, ſc.

Savili,

Savili, cui *de* [p] *ſpeculis* quoque contigit illo
Eſſe die, & (tanquam haud alias ſatis eſſe propinquus
Fato Dux poterat) propriora pericula vitro
Reddere, quo ſævos hoſtes majore ruinâ
Ingruere oſtendens, aliquid det Principis iræ
Par.

Illius quanquam haud expendere Fata diei
Artis opus, ſat multiplices dedit aſpera Glades
Ipſa ſibi Lacheſis, nec opus geminare ruinas
Artificis ſtudio; nec enim, ſi credere Famæ
Fas, deerant qui ſe cuperent nil poſſe videre,
Queis oculos timor armorum quoque clauſit apertos.

Nec mihi tam placidas ſpecies ſopor obtulit, Orco
Qui modo ſum viſus dimitti vivus, & Antrum
Quicquid habet tam triſte *ratis* vidiſſe [q] *Barathro*.

Mos illic, quos non lethalia vulnera tangunt,
Præcipites ferri ad medicos, & quærere membris
Auxilium laceris; Lanienam ibi [r] *Perſius* Artis
Exercere novam doctus, ſtat ſindone cinctus
Brachia, ventralique femur circundatus imum,
Sanguinolenta caput decorant redimicula, crines
Colligit in nodum terrore infecta rubenti
Faſcia; diſſimili ornatu [s] *Scarburgus*, at adſtat
Arte pari, generis caſus plorare paratus
Humani, cunctiſque ſibi prodeſſe negatum;
Sed tamen hic virtus, quod inexorabilis aures
Dat querulis, gemituſque nihil miſeratus inanes,
Brachia, crura, pedes, dextras reſcindere ſuadet,
Inſtituens horum revocari funere vitam.

At mihi molle dedit melior cui pectus Apollo,

[p] Teleſcopium Ille circumtulit, quo ſubinde uſus Dux, Hoſtium naves, & motus diſtinctius obſervabat.
[q] *The Hold.*
[r] Archichirurgus.
[s] Archiatrus.

Quam

Quam fuit hæc rerum facies truculentior omni
Strage, indiſtincto cumulo vidiſſe jacentes
Semianimos Artus, & adhuc ſpirantia paſſim
Viſcera! Pendentes fibras, præcordia, Renes,
Quoſque ſumus nimis heu proni celare, patentes
Pectoris hîc aditus cæcos, mentiſque receſſus!

Quam mihi tum, veniam ſi *Dux* feciſſet, in armis
Mite ſacerdotis placuiſſet ponere nomen?
Quam Tecum placuiſſet eodem [t] vulnere *Coxe*
Reddere naturæ, Patriæ quam debeo, vitam?

Sic gemitus, vultuſque truces, ſuſpiria, diras
Luctus, Horrendoque ſonans clamore [u] *Theatrum*
Mortis fugiſſem, ſqualore nec illitus Atro,
(Sanguinem ubi, Illuviemque, & quas promiſcua ſordes
Turba creat, gravior miſcet ſentina carinæ)
Felices ſtygio ſenſiſſem gurgite merſos.

Quid quod & infernas flammas, quas vulnus adurit,
Mitius exclament ſævire, & protenus orco
Dimitti poſcant, aures ululatibus alter
Percellit miſeris, alter tabulata remordet,
Dentibus infrendent alii, nec certa doloris
Ulla fuit ſpecies, membris quoque ferre queruntur
Diſſectis alii tormenta, ſed illa jacebant
Caſſa omni ſenſu. ----

Nec tamen his ipſis deerant vel faucibus Orci,
Queis unum hoc doluit, non ultra poſſe vacare
Vulneribus, vireſque animo geſſiſſe minores;
Nec tecum, *Jacobe*, immenſa per æquora *Belgas*
Pellere cedentes, donec quaſi numine verſo
Demeritus ventos, quos mane *Britannica* claſſis
Senſerat oppoſitos, nunc aſpirare triumphis

[t] Quippe qui in Ratis Barathrum (*The Hold*) Ducis juſſu nolens volens à Blankfordo pene detruſus, fatale illud vulnus (cui pariter & ipſe expoſitus ſteti) quo Coxus Navis Præfectus periit, tantum Corpore effugi.

[u] Ubi moribundos multiplici quaſi lanienâ excruciare coguntur Chirurgi.

Agnoſ-

Agnoſcas, ſatis ulturus quæ ſortis iniquæ
Damna tulit *Sandwychus.* ----

Hinc mihi *Belgarum* demerſæ gurgite vaſto,
Quot ſtygium puppes ſunt viſæ adnare profundum?
Quot viſa eſt dare flamma rogo, tantiſque ſacrare
Manibus inferias? disjectas æquore naves,
Quâ poterat, ſummâ curâ revocante *Batavo.*

Et nunc longa dies (quâ nulla ſacratior unquam
Extiterat Marti, pariterve rubentibus undis
Occiduo dederat radios intingere ſoli)
Sanguine purpureos occaſus occupat, hoſtis
Quum ſibi formidans quid cladis proxima ferret
Aurora, & tenebris ſeſe ſubducere quærens,
Nunc face, nunc clangore tubæ, bombiſque ſonoris
Signa dabat ſociis; pariter nos mutua læti
Signa fugæ accipimus, ſequimurque per ardua Ponti,
(Nunc dextræ [x], lævæ [y] nunc inclinante Carinâ,)
Optata, lucente die, ſtatione potiti,
Et nova pectoribus ſpirantes prælia, votis
Pugnam æquam petimus tantum, ventoſque ferentes,
Quum ſubito ſpiſsâ [z] obductum caligine cœlum,
Mirum ingens! pugnæ ſpem protenus abſtulit omnem.

Non aliter populi, quos frigida deſpicit Arctos,
Auxilium precio licitari turbinis Atri,
Et conjuratos in Carbaſa cogere ventos
Dicuntur; *Belgæ* pariter ſervire procellas
Credas, an Genio Patriæ, quæcunque fuerunt
Aſpera, donari; quicquid fuit, una peregit
Tempeſtas annum; quippe hoc prædixerat ante
Delphinum [a] luſus Porcique [b] inſana marini
Æquora verrentes caudis, æſtumque ſecantes,

[x] *One while with our Star-board tack on board; another with our Lar-board tack on board.*
[z] Poſt datum ineundi prælii ſignum in ipſo temporis articulo nebula quaſi interjecta utramque claſſem disjunxit.
[a b] Quibus portendi tempeſtates nautæ credunt.

Surgentes ſub aquis quas jam ſenſere procellas,
Turbato nautis mox inſtare æthere, motu
Prodiderant vario; ſed territus omine nullo
Jacobus per apertum æquor jubet ocius omnes
Attolli malos, intendi brachia velis;

" Una omnes fecere pedem; pariterque ſiniſtros,
" Nunc dextros ſolvêre ſinus; una ardua torquent
" Cornua, [c] detorquentque, ferunt ſua flamina Claſſem.

Poſtquam altum tenuere rates, velut agmine facto,
Quâ data porta, ruunt venti, præruptus aquæ mons
Inſequitur cumulis, avidâque voragine ſævit,
" Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
" Terram inter fluctus aperit; furit æſtus arenis,
Et nunc diſperſi jactamur gurgite vaſto:
Involvêre diem nimbi, & nox humida cœlum
Abſtulit; interea *Prædis Orientis* onuſta
Claſſis prætervecta ſuas allabitur oras,
Atque inſperatâ tandem tellure potita,
Quid poſſit fortuna, docet, qui caſus agat res;
Quid contra valeat duris exercita virtus,
Ut tantis commiſſa malis, ſpectacula cœlo
Digna det? immenſum ſic rupes prodit in æquor
Obvia ventorum furiis, expoſtaque ponto
Vim cunctam, atque minas perfert cœlique, mariſque,
Ipſa immota manens; nec erat, *Jacobe*, quod armis
Fata tuis poterant ultra dare.

Tu modo pervigili qui tranſigis omnia curâ,
Vidi ego quem toties inſomnes ducere noctes:
Dum Regi, Patriæque ſtudes præſtare quietem,
Ignoſcas *Dux magne* mihi mea ſomnia, geſtis
Non aliter ſimulanda tuis, ſacrove labori,
Quam quia per ſomnos miſſum divinius eſſe

[c] *Brace the Yards.*

Creditur

Creditur, & Cœli afflatu Mortalibus ægris
Illabi; fuerat tua ſcilicet (Optime) Virtus,
Quam prope *Divinam* colimus, cœloque locandam.

FINIS.

---

25 AV 67